



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

127. An, & qualiter præsentatio possit esse conditionata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

*loc. cit. n. 24.* ait: cum hæc sit quæstio facti & voluntari potius, quam juris, decidendum, & de dicta voluntate judicandum cum regulis generalibus, secundum quas solemus istiusmodi voluntatum perfectionem tam in actibus viventium, quam morientium dijudicare. Illud solum in præsentibus observandum, quod debeat intra terminum à jure præscriptum probari talis voluntas coram habente instituere.

*Quæstio 127. An, & qualiter præsentatio possit esse conditionata?*

**R**espondeo primò: per præsentationem (contrarium est in institutione, collatione, & electione, de quo vide AA. paulò post citandos) fieri posse conditionatam, seu sub conditione; quin & dubiam & obscuram, v. g. si diceret patronus, ut Card. de Luca *loc. cit. n. 25.* *præsentatio mihi proximiorum in parentela, vel illum, qui me baptizavit, vel relative ad tertium: præsentatio illum, quem Titius præsentabit &c.* modò intra tempus concessum ad præsentandum conditio purificetur, incertitudo & obscuritas certificetur, & fiat clara coram institutore. Corrad. l. 4. c. 6. n. 26. citans Vivian. l. 6. c. 6. n. 24. Card. de Luca. *loc. cit. Garc. p. 3. c. 2. n. 42.* citans Lamb. p. 2. l. 2. q. 3. a. 5. n. 5. Porro si conditio vel incertitudo venit purificanda vel certificanda per habentem instituere, statim dicitur purificata, & certa præsentatio. AA. *idem. loc. cit.* Hinc

2. Respondeo secundò: potest præsentari inhabilis (hoc est, cui deest aliquid à jure vel fundatore requisitum) sub expressa conditione impetrandi à sede Apostolica dispensationem super isto defectu, v. g. super ætate vel qualitate sacerdotis requisita à fundatore, intra tempus tamen datum ad præsentationem patronis, qui proinde pro ea vice privari non possunt potestate præsentandi, tanquam si inhabilem præsentassent; ac proinde collatio devoluta ad superiorem, cujus est instituere, cum præsentatio facta fuerit sub conditione. Corrad. *in pr. benefic. l. 4. c. 6. n. 4. & 26.* juxta decis. Rotæ n. 1173. apud Seraphin. Nequaquam autem in hoc casu impetranda hujusmodi dispensationis pro præsentando inhabili sufficit, fuisse intra dictum tempus datum patronis ad præsentandum porrectam Pontifici supplicam, ac de hoc docere coram Ordinario, nisi fuerit etiam signata, ac saltem datata; licet nondum registrata. Corrad. *n. 5.* Tempus verò devolutionis factæ ad institutorem incipit à die nulliter obtentæ vel etiam denegatæ dispensationis. Corrad. *ibid.*

3. Porro hic observandum ex eodem Corrad. *cit. n. 4.* citante seipsum *in praxi dispens. apost. l. 4. c. 2. n. 14 & seq.* primò nunquam aut rarò dari istiusmodi dispensationem ad partem sine provisione (nisi fortè sint nepotes Cardinalium, aliæve personæ qualificatæ, ut Principum filii, cum quibus ad partem dispensare consuevit; ut nimirum non obstante v. g. defectu ætatis, tunc expressè obtinere possint beneficia simplicia non habentia annexum S. Ordinem) sed solere dari dictam dispensationem insertam in literis provisionis Apostolicæ de beneficio, ad quod orator est præsentatus, perinde ac si collatio ipsa simpliciter spectasset ad ipsum Pontificem, & cum solutione omnium jurium Officialibus Cancellariæ Apostolicæ debitorum. Secundò: quotiescunque Orator ratione alicujus impedimenti sive defectus, sive is sit alicujus à jure, sive à fundatore requisiti, non potest ab Ordinario obtinere collationem vel

B. Leuren. Fori Benef. Tom. 11.

institutionem; ad quem ea aliàs de jure spectaret; recurrendum ad sedem Apostolicam, sive pro nova & simplice provisione cum dispensatione aut, etiam gratia *perinde valere.* Quòd si beneficium pingue est, etiam si sit juris patronatus, etiam laicorum, solere Papam super hujusmodi redditibus aliquam, licet modicam, pensionem, ob favorem personæ sibi bene visæ reservare. Tertio hodie, dum petitur dispensatio super defectu ætatis, etiam præsentati ad beneficium juris patronatus vacans, sive per obitum, sive per resignationem, regulariter non dari dispensationem ultra annum super dicto defectu.

4. De cetero, quid sit specialiter circa adjectam in præsentatione conditionem reservationis pensionis in favorem præsentantis, vel alterius ab eo nominati, vide Card. de Luca *loc. cit. n. 27.* ubi ait: decisionem pendere ab ea distinctione, quæ adhiberi solet circa conventiones inter resignantem & resignatarium, & breviter quoad præsens: dictam conditionem esse licitam si fiat sub expressa reservatione beneplaciti Apostolici, & non vitare actum præsentationis vel collationis; habetur enim pro non adjecta, si Papa neget; qui tamen requirendus est; si tamen adjiatur sine hujusmodi reservatione beneplaciti apostolici, nisi adsit clausula: *non aliàs; sive non aliter; vel alio modo;* seu alia æquipollens, quæ adimat consensum ab actu, potius talis conditio habeatur pro inutiliter adjecta, quam ipsa vitiet talem actum præsentationis, collationis, &c. Proceditque id multò magis, si adjiatur clausula, *omni meliori modo.* Ità Card. de Luca *cit. n. 27.* uti & *in sum. juris patr. n. 107.* ubi hanc doctrinam extendit ad omnem conditionem à jure reprobam, quòd illa adjecta actui, & in præsentationi potius vitata seu nulliter adjecta habeatur, quam actum vitiet.

*Quæstio 128. An, & qualiter præsentatio facta pro forma requirat examen præsentati?*

**R**espondeo primò: facta præsentatio ad parochialem requirit essentialiter, seu pro forma examen præsentati. Lot. l. 2. q. 1. n. 45. Paris. *de resq. l. 8. q. 5. n. 37.* & de hoc dictum alibi, ubi de consensu instituendo, videri etiam poterunt Barb. *de off. parochi. p. 1. c. 2. n. 124.* Garc. p. 4. c. 2. n. 22. & seq. Less. l. 2. c. 34. n. 81.

2. Respondeo secundò: non requiri hoc examen pro detegenda habilitate præsentati in ordine, ut præsentatio admittatur; sed in ordine, ut institutio fieri possit, & hæc suum effectum consequatur: unde licet notitia, quam habet Ordinarius, non suppleat hanc formam, ut sine ea possit instituere; licet ea suppleat examen, ut præsentatum recipere possit. Lot. *loc. cit. n. 46.* ubi etiam quòd satis sit, præsentatum ad parochialem postea subijci examini requisito pro forma ante institutionem.

*Quæstio 129. An præsentatio vitietur, si patronus dicat: eligo Titium in præsentandum?*

**R**espondeo negativè: Laym. *ad c. perpetuo. de postul. n. 4.* citans Jo. And. Franch. *in idem c. cum* enim præsentatio diversa sit ab electione & postulatione, neque iisdem regulis juris definiatur, ea, quæ aliàs hac in parte de electione & postulatione dicta sunt, ad præsentationem transferri non debent. Unde dum constat de voluntate præsentare volentis, dicta verborum forma est sufficiens. Laym. *ibid.* Porro præsentationis formulam tam